



Molęcki Stanislai: Conclusiones theologicae de sacramentis in genere et in specie de baptismo et confirmatione.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0001721

In Nomine Domini, Amen.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ, De Sacramentis in Genere, & in Specie, DE BAPTISMO & CONFIRMATIONE,

Ex Tertia Parte D. THOMÆ Doctoris Angelici.



QVAS

PRÆSIDENTE

M. MATHIA PSOIECKI

S. Theologiæ, ac interea Cursûs Sacramentalis RADIMINSCIANI Professore, Collega Majore, S. FLORIANI Canonico.

SVSCIPIET

STANISLAUS MOLĘCKI,

Philosophiæ Baccalaureus

PROPUGNANDAS,

In Augusta D. Iagellonis Aula,

Anno Domini, 1689. Die 13. Julij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

In Gentilitiũ Insigne Perillustris & Reverendiss. D.



Doctorum niveo Capiti; pro mille Coronis,
Gratia BUZINIÆ, sufficit una ROSÆ.

Perillustri, & Rn̄dissimo Domino,

D. STANISLAO
DE BUZENIN
BUZENSKI,
DECANO VARMIENSI,
Metropolitanæ Gnesnensis & Cracouiensis CANONICO.
DOMINO, & PATRONO AMPLISSIMO.



D coronas in certamine publico, decora ingenia provocans, Majestatisq; suæ in Regno Sapientiæ conscia venit ad Tuæ purpuram ROSÆ, *Theologica Veritas.* PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. *Augustum illi, & Regiũ omninò ab origine decus, quia ex ore Altißimi prodijt: cùmq; Regum Regis Filia sit, byssus & purpura indumentũ eius: nec decet illam, utpotè principijs revelatis innixam, arcana cælestia loqui; nisi omne quod dixerit, sit sub* ROSA. *Sub Tua certè decor illi, & digna imperio Majestas, qui de Rosarum Gentilitio Stemmate, florum Reginam pro Lucina sortitus; ut aliquando Rex animorum, & flos ingeniorũ selectißimus fieres, etiam inter Natales Fascias, animo Purpuram induisti; cultißima jam tunc intùs omnia gerens; ut tantò magnificentiùs qui Te sibi à teneris in delicium elegerat, animus in Te sapiens habitaret. Divum Tibi genus cum Principe* ROSARVM DIVO ADALBERTO, *cruentam Martyris purpuram induto; sed & Divinus ex alto genius, virtutis & sapientiæ capacißimus, seipsoq; major; nisi quòd æstimari renuens, ex animo Roseum, coronata Pallas Iagellonica, delicatam cordis sui habuit Rosam, eruditionisq; Principem fecit; ut cum eruditißimis certares, victoriam habens, palmas & triumphos recusans. Inde Tibi in eruditione augusta omnia, sive animo sapias, sive Delphos loquaris, sive calamo certes; dilectus vbiq; & æstimatus, augustißimis æque mentibus, ut & thronis. Intelligentia sæculi nostri,* ANDREAS *olim* OLSZOWSKI, *Primas &*

Princeps Poloniæ, & sapientiæ Regni, propè tecum intuitivè locutus, summo Te loco habuit, & dilexit, quia intelligentiam. Os aureum Regni, ab ore Tuo pependisse non erubuit; dum Regens Cancellariæ Regni Maioris, oracula digna Te loquereris. Varmia Te DECANO *spectatißima, Administratore beata, cultu maximo veneratur Animũ in Te Episcopalem sine mitra. Hîc porrò quantùm Te æstimaverit, quantùm* ROSIS *Animi Tui flagrantißimis delectatus fuerit, Regius Sanguis, & animorum ipse purpura, Eminentißimus Princeps* MICHAEL RADZIEIOWSKI, S.R.E. CARDINALIS, ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS, & PRIMAS REGNI, *augustiùs est, quàm concipi diciq́; poßit. Maius profectò de Te nullum os, nullumq́; sæculum dicet, quàm quod purpuratum hoc Orbis, & Romæ oraculum dixit. Nonne &* FASCIA *gemmarum* MAŁACHOVIANA, *eousq́; irrequieta fuerat; donec* TE PERAVGVSTI CAPITVLI CRACOVIENSIS *trino diademati pretiosam, quia diu exspectatam insereret gemmam, Coronato* IOANNIS CASIMIRI, MICHAELIS, & IOANNIS III. *Serenißimorum Poloniæ Regum judicio, magnarum mentium inter vniones semper habitam & coronas. Huc ergo pro corona veritatis decertans, vt Spinæ Rosa fiant, Theologica de Sacramentis Scientia, vna mecum declinat; secura Gratiæ & Patrociniy* TVI PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE; *qui me iam pridem intra pulcherrimum Animi Tui Rosetum admisisti; cuius suaueolentia dum reficior, & Gratÿs fruor, etiam Gratiarum testes, Disputationis ex Cursu Sacramentali hasce Primitias, in authoramentum observantiæ meæ, Honori Tuo consigno. Author earum, & Fundator Clarißimus Vir* MARTINVS RADIMINSKI, *Collega Maior, ac verè Regius Professor animum sanè Regium, erga Principem Scientiarum Theologiam ex innocenti peculio testatus; in cuius vultu illo Summum Virum locuto, æstimatorem tanti ingeniy, sæpe defixeras obtutum. Fave superstiti eius, in Vniversitate nostra Genio; quam cùm impensè diligas, & auream eße velis, sis ipse cælo dilecta, præcellentium ab aureo ævo animorum medulla; sis longæua Musarum gloria; Gratiarum & Honorum omnium, quos renuendo vicisti: Theologiciq́; certaminis nostri sis* ROSA & CORONA.

Perillustris & Reverendissimæ Dominationis Tuæ,

Devotissimus & Obsequentissimus Cliens,
M. MATHIAS PSOIECKI.

In Nomine Domini, Amen.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ, DeSacramẽtis inGenere &inSpecie.

DE BAPTISMO & CONFIRMATIONE.

I.


Er Sacramentum, non pecuniam, pro pignore in loco sacro locatam; aut Iuramentum, quod cum invocatione Nominis Divini fiebat; aut Iusjurandum quo se Milites Reipublicæ obstringebant, prout profani Scriptores accipiebant intelligimus: sed iuxta Sacram Scripturam, Rem divinam, occultam, latentem, quæ videtur captum humanum excedere. Et quamvis varias ac multiplices habeat definitiones, illa tamen est convenientissima, quòd, Sacramentum sit signum rei sacræ: hoc autem signum non est Theoricum sed Practicum, perfectè sanctificans eum cui confertur.

II.

DE absoluta sua potentia Deus potuit facere vt Sacramentum non esset signum sensibile: attamen conveniens fuit, vt res sensibiles, Sacramentis accommodaret. Legis veteris Sacramenta constabant tantùm rebus & non verbis. Legis verò novæ omninò constare debent & rebus & verbis, quæ debent esse determinata ex divina institutione: & faciunt compositionem non solùm Physicam, sed etiam Methaphysicam.

III.

MAteria Sacramentorum quædam est Remota, quædam Proxima. Verbum quod est tanquam forma in Sacramentis non est doctrinale seu Cõcionatorium, vt voluit Calvinus; sed debet esse Consecraticium & efficax ad referendam gratiam, si nullum adsit impedimentum. Nec Lutheranorum opinio aliquid valet, dicens, quòd Deus in parvulis excitat pios motus fidei: quia fingit miracula sine vllo fundamẽto. Quando Minister adhibet veram Materiam & veram

formam & habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quamvis aliquid addat aut detrahat, quod putat esse de essentia Sacramenti, licet revera non sit verum, conficit Sacramentum. Sacerdos non servans modum materiæ aut formæ, qui communiter observatur, peccat mortaliter.

IV.

SAcramentorum institutio, non fuit necessaria necessitate absoluta; sed quia sanandæ nostræ miseriæ, alius convenientior modus non fuit; ideò fuerunt necessaria ex hypothesi, & non in statu innocentiæ sed in statu naturæ lapsæ. Hinc à lapsu primi Parentis vsq; ad Moysen debuerunt institui aliqua Sacramenta. In lege scripta tam pro iustificandis parvulis, quàm etiam adultis, quæ vera erant Sacramenta: sed hæc sunt ablata, quia iam sunt impleta, & alia in lege noua sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Et ex his alia, quæ sunt necessaria ex divina institutione necessitate medij, alia necessitate præcepti.

V.

DE fide est [& oppositum tenere est manifesta hæresis] quòd Sacramenta Novæ Legis verè & propriè causant gratiam idq; ex opere operato, quod vt dignius & verius de his sentiamus, asserimus, quòd sint causæ instrumentales Physicæ, gratiæ. Nullum verò Sacramentum antequam suscipiatur confert gratiam, sed tum demùm & eo tempore, quando suscipitur & applicatur si nullus intercesserit obex. Instans in quo gratia producitur est aliud quando vltimo Sacramentum completur. Qui sic fictè suscipit Sacramentum, vt non habeat tunc intentionem illud suscipiendi, recedente fictione, per mutatam voluntatem non recipiet effectum Sacramenti!

VI.

GRatia Sacramentalis, super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona, addit quoddam divinum auxilium ad consequendum finem Sacramenti. Et hæc gratia Sacramentalis, non continetur in Sacramentis, vt in causa principali, quia hæc est Deus, neq; tanquam in causa æquivoca, sed tanquam in habente virtutem instrumentalem, receptam ab agente principali. Hæc autem virtus instrumentalis Sacramētorum non est aliqua qualitas divinitus impressa, quæ sit virtus conferendæ gratiæ: sed est motus ille ab agente principali, nimirum à Deo, receptus.

VII.

VII.

VIrtus salutifera in Sacramento Novæ Legis à Divinitate Christi per eius humanitatem derivatur & specialiter ex passione Christi. Sacramenta Legis veteris, neq; per se ipsa, neq; ex passione Christi habuerunt vim conferendi gratiam iustificātem; sed solùm ex fide & devotione in venturum Salvatorem excitata. Passio enim Christi Sacramentorum illorum neq; fuit causa efficiens, neq; gratiæ; sed solùm causa finalis.

VIII.

CHaracter non est quidem respectus, per quem homo deputatur ad peculiarem cultum Deo exhibendum; nec aliquid ita reale, quod sit relativum, sed est qualitas supernaturalis absoluta spiritualis & indelebilis ab anima, qui reponitur in secunda specie qualitatis. Consistit in essentia animæ, tanquam in subiecto remoto: in intellectu verò tanquam in subiecto proximo.

IX.

IN his Sacramentis, quæ imprimunt Characterem, vt Baptismus, Confirmatio Ordo. Illa quæ se habent per modum medicinæ & sunt ad tollendum peccatum instituta, [vt est Baptismus] principalior effectus est gratia. In his verò quæ ordinantur ad cultum Divinum, vt Confirmatio, Ordo principalior est effectus character: qui omnino est indelebilis, adeò vt etiam in animabus per mortem separatis à corpore existat.

X.

OMnia Sacramenta Novæ legis à Christo IESU Domino sunt instituta. Et ille secundùm quod est Deus operatur interiorem effectum Sacramentorum videlicet gratiam, idq; per authoritatem tanquam Agens principale, propriâ virtute Divinâ: secundùm quod autem est homo, est quidem causa effectiva Sacramentorum, & ipsius Gratiæ, quæ producitur per Sacramenta; sed in ratione causæ efficientis instrumentariæ. Et quia humanitas Christi, est instrumētum conjunctum Divinitati; idcirco in genere causæ instrumentalis obtinet quandam principalitatem, quæ dicitur Potestas excellentiæ.

XI.

NVlli Ministrorum authoritatis potestatem, quam habuit in Sacramentis Christus Dominus potuit communi-

care; bene tamen Excellentiæ. Sed & hanc nec Ecclesiæ nec vlli Ministrorum concessit. Veritas fidei Catholicæ, est ad Sacramentorum perfectionem necessariò requiri Ministrum: nulla tamen malitia sive sit occulta, sive sit actoria sive etiam sit hæresis, impedit Ministrum à vera Sacramenti confectione, modò habeat intentionem faciendi quod Christus instituit, & debitam materiam & formam adhibeat.

XII.

MInister malus sive in peccato ministrans Sacramentum peccat: & hoc peccatum ex genere suo est mortale; & quoties aliud Sacramentum præter Baptismum in peccato ministrat, peccat mortaliter; nec excusatur ob necessitatem: siquidem est Minister Ecclesiæ publicus, deputatus ad actus sacros exercendos; ad quos dignè peragendos dispositus esse debet. Exercere aliqua Sacramentalia in peccato mortali, vt vestes consecrare, aut Virgines Deo dicatas, aut actum jurisdictionis exercere non est peccatum mortale.

XIII.

IN extrema necessitate seu in articulo mortis, tam Sacramentum Baptismi; quàm pœnitentiæ, licèt petere à quovis Ministro, etiam non tolerato: sive fuerit excommunicatus, sive degradatus, sive irregularis, sive hæreticus; præsertim si præter illum non possit alius haberi.

XIV.

DE Potentia Dei ordinaria soli homines sunt Ministri Sacramentorum; at de absoluta etiam Angeli possunt ministrare Sacramenta. Si aliquis Beatus resurgat qui habuit Characterem Ordinis, probabile est, quod possit vti Charactere potestatis ad Sacramenta ministranda.

XV.

AD essentiam cuiuslibet Sacramenti perficiendam, requiritur necessariò intentio faciendi id, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit. Ad quod non sufficit Habitualis, quia est indifferens ad hanc vel ad illam actionem, quæ etiam in dormientibus aut ebrijs esse potest. Actualis verò non requiritur, quia non est in potestate hominis semper habere animum actu intentum; sed requiritur virtualis, quæ ex Actuali procedit & manet non interrupta per actum contrarium; & hæc est ordinans & dirigens actus Sacramentales & in eosdem influens.

XVI.

XVI.

SI conficiens Sacramentum non intendit illud perficere sed deridere, præsertim si aliquo signo interno suam derisoriam actionem manifestet, nullum conficit Sacramētum; quia talis perversitas tollit veritatem & essentiam Sacramenti. Si verò intendat facere, quod facit Ecclesia & præterea intendit aliquod flagitium, vt si consecret Eucharistiam, vt eâ ad veneficia abutatur, talis verè consecrabit, quia ab his pravis intentionibus adjunctis, non pendet Sacramenti confectio. Talis tamen Sathanicus Minister, committit crimen sacrilegij.

XVII.

VEritas Catholica docet nec plura, nèc pauciora esse Sacramenta Novæ legis, quàm septem; scilicet Baptismum. Confirmationem, Eucharistiam; Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem & Matrimonium. quæ communiter & debito ordine sunt ordinata. Inter quæ Eucharistia omnium Sacramentorum est Sacramentum dignissimum; sed Baptismus absolute ad salutem est necessarius. Pœnitentia necessaria suppositô peccato. Ordo ratione Ecclesiæ Christianæ. Reliqua verò necessaria ad melius esse.

XVIII.

DOctor Gentium Sacramentum Baptismi appellat Lavacrum gènerationis. Mysterium sepulturæ Christi. Hostiam pro peccatis. Sacramentum hoc Catechismus Consilij Tridentini sic definit: Baptismus est signum seu Sacramentum Gratiæ regenerationis per lavacrum aquæ & verbum vitæ. Christus Dominus instituit illum ante suam Passionem, & quoad Materiam & quoad formam. Annum institutionis exprimit S. Lucas Cap. 3. Ipse erat incipiens quasi annorum triginta. De die & Mense res non ità certa.

XIX.

BAptismus, post sui institutionem fuit in Consilio, vsq; ad Passionem & Resurrectionem Christi, & ideo Circumcisio habuit vim obligandi Iudæos ad sui observantiam vsq; ad vltimum Spiritum Christi. Baptismus verò à morte Christi, cæpit sub præcepto obligare, quanquam hi, ad quos illius promulgatio non pervenit, ignorantiâ excusarentur.

XX.

MAteria Baptismi remota est aqua Elementaris Naturalis,

lis, vera & simplex, & à sua specie non soluta. quæ ob majorem Sacramenti reverentiam debet esse purissima. Vrgente autem necessitate, alia adhiberi potest, vt turbulenta, amara, lutosa, colata per cineres vel quamvis sulphur habeat admixtum, vt sunt aquæ, per metalla transeuntes, sunt enim aquæ essentialiter, nec suam essentiam mutant. Similiter aqua ex glacie nive, grandine, resoluta, si sufficienter liquefiat. Proxima vero Materia est ipsa ablutio, in qua est applicatio aquæ quæ fieri potest vel per Aspersionem, vel Immersionem vel Infusionem. Vt ritè Baptismus suscipiatur, non sufficit si Baptizati solùm aquâ vestes aspergantur. Præceptum Ecclesiæ est vt caput abluatur.

XXI.

FOrma Baptismi: Ego te baptizo in Nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti, est conveniens. In quo omnino necessarium est vt exprimatur actus baptizandi per verbum Baptizo, & Persona quæ baptizatur: & vt sit distincta nominatio & invocatio trium Personarum alioqui Baptismus collatus in Nomine Trinitatis, aut in Nomine Christi, omnino est nullus.

XXII.

TRia sunt Baptisma scilicet Fluminis, Flaminis & Sanguinis. inter quæ solus Baptismus aquæ propriè & verè rationem Baptismi obtinet. Flaminis & Sanguinis non sunt propriè Sacramentum, sed vicem Baptismi Fluminis supplent. Ad Martyrium requiritur dispositio, vt si sit adultus & conscius sibi alicuius peccati mortalis, nec illud ob instantem mortem, confiteri potest, vt per veram Contritionem conteratur. Martyrium confert gratiam ex opere operato.

XXIII.

BAptismus ritè & verè collatus iterari non debet. Si autem de aliquo dubium esset, an sit baptizatus, baptizandus est sub conditione, non autem rebaptizandus. cum tali forma: si baptizatus es, non te rebaptizo, sed si nondum es baptizatus: Ego te Baptizo in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Ab obstretricibus domi baptizati, ab Hæreticis, & pueri expositi sub conditione sunt baptizandi. Olim pro adultis baptizandis tempus erat primum Vigilia Paschatis, secundum Pentecostes. Sed hic mos desijt esse in Ecclesia, vnde quovis tempore adulti, sicut & infantes baptizari possunt.

XXIV.

XXIV.

MInister Ordinarius Baptismi, per totam suam Diœcesim est Episcopus, in sua propria Parochia Curatus Sacerdos. Diaconi non est officium vt baptizet. Ad administrandum Baptismum requiritur iurisdictio. Erit tamen si quis absq; iurisdictione baptizet. In casu necessitatis, non solùm Sacerdos vel Diaconus; sed etiam laicus & mulier: imò etiam Paganus & Hæreticus baptizare potest, modò possit & sciat debitam formam proferre, & materiam applicare cum intentione Ecclesiæ. Si tamen Sacerdos facilè haberi potest, prætermitti non debet. Nam si fuerit negliens est peccatum mortale. Mos vt plures Ministri, vni conferant Baptismum, non est licitus.

XXV.

PRæter Ministrum qui baptizat, Patrini sunt necessarij, qui infantem baptizandum offerant & teneant: quorum officium est, vt, eorum quos de Sacro fonte susceperunt, curam gerant, tanquam spirituales parentes, eosq; in his quæ ad fidem & ad vitam Christianam spectant instruant & informent. Ad hoc Officium non baptizati hæretici, Abbates, cum suis Monachis, Abbatissæ, cum suis Monialibus, Parentes Carnales, Pueri, & qui vsum rationis non habent non admittuntur. Ex dispositione Concilij Tridentini sess: 24. Cap. 2. ad hoc munus vnus tantùm sufficit, sive sit vir, sive mulier, vel ad summum vnus & vna, qui baptizatum suscipiant. Ex hoc actu quòd quis levat baptizatum contrahitur cognatio, quæ est impedimentum contrahendi inter illos Matrimonium.

XXVI.

NEmo saluari potest sine Baptismi susceptione re, aut voto; quod expleri debet, quando id comodè fieri potest, & hoc sufficit implicitum & virtuale, ea cupiendo adimplere, quæ Deus ordinavit ad salutem consequendam. Per Baptismum non solùm Originalis peccati macula, sed etiam actualium deletur. Qui retinent propositum peccandi, ad Baptismum non sunt admittendi.

XXVII.

BAptismus, delet ac tollit peccatum Originale & simul omne actuale, ac personale, si quod ante eius susceptionem est commissum, nisi ex parte suscipientis ponatur obex: ita, vt in baptizato nihil remaneat, quod peccati propriè dicti rationem habeat. Tollit quoque simul cum peccatis, omnem reatum pænæ pro peccatis debitæ, non tantùm æternæ, sed etiam temporalis.

XXVIII.

FIctio quâ quis simulat exteriùs se velle baptizari, & tamen interiùs nullam habeat voluntatem suscipiendi Baptismum, non tantùm impedit effectum Sacramenti, sed ipsum quoq; Sacramentum, ita vt Baptismus tali collatus sit planè nullus. Quando verò quis exteriùs, ita se gerit, ac si fidem haberet, & de peccatis pæniteret, atq; sese ad Deum converteret, & tamen reverâ vel fidem non habet, aut certè peccata adhuc ei complacent, neq; eorum affectum, sive voluntatem deponit; tunc non impedit veritatem Sacramenti

neq; impressionem Characteris, sed impedit remissionem peccatorum, & infusionem gratiæ.

XXIX.

CONFIRMATIO, quæ secundum inter Sacramenta Novæ legis occupat locum, est verum propriè dictum Sacramentum a Christo Domino institutum. Materia eius remota, est Chrisma seu unguentum ex oleo olivarum, & balsamo confectum. Proxima verò est ipsa vnctio, quam Episcopus facit in fronte Confirmati. Forma vero est: Signo te signo Crucis confirmo te Chrismate salutis. In Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. & hoc Sacramentum, imprimit animæ characterem indebilem, eoq; nomine iterari nunquam potest.

XXX.

SAcramentum Confirmationis confert per se augmentum gratiæ sanctificantis, sed requirit, vt suscipiens sit in statu gratiæ, ad hoc, vt dignè & cum effectu gratiæ sanctificantis, illud percipiat. Sacramenti huius omnes capaces sunt, tam Parvuli, quam Adulti. Eius MinisterOrdinarius est Episcopus. Ritus, quos Ecclesia in hoc Sacramento conferendo adhibet, sunt convenientes. Et licet præcipuè in die Pentecostes debeat administrari, quia illo die Apostoli cum cæteris Discipulis Christi Domini virtute Spiritus Sancti corroborati, & induti ex alto fuerunt, tamen quia magna est Confirmandorum multitudo, cui certis temporibus Episcopus non sufficeret confirmandæ; ideò extra tempus Pentecostes etiam tempore pomeridiano solet hoc Sacramentum administrari.

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS

Magnifici, Perillustris, & Admodum Reuerendi Domini

D. M. IOANNIS MICHALSKI,

Sacræ Theol: Doctoris & Professoris, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI Præpositi, S. GEORGII in Arce Custodis.

Almæ Vniversitatis Cracoviensis PROCANCELLARII, Ejusdemq; Studij, Generalis & Vigilantissimi

RECTORIS.



